



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 134. Franciæ Rex Aureliam contendens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

**Sæcul. XVI.** vinus, qui ejusdem quoque mentis erat, A C 1560. Bezam ad Navarræ Regem miserit, ut ei hoc iter dissuaderet, eique obtulerit sex, vel septem millia Vasconum, & Pictaviensium militum, qui jam omnes validis Belliducibus aggregati ad primum mandantis nutum in aciem progredi parati essent: cum vero ambo Principes sanioribus aliorum monitis absterriti illorum, qui Aulam accedere suadebant, consiliis acquiescere statuerent: hinc Neraco profecti cum exiguo suorum comitatu Pictavienses fines ingrediuntur, moxque in hoc itinere constituti octingentos Nobiles, qui illos eo usque comitabantur, ad sua reverti jubent.

## §. CXXXIV.

*Franciæ Rex Aureliam contendens.*

*Thuan. l. c.* Interea Franciscus II. Rex unacum Catharina Matre sua, ac Guisianis Principibus, necnon mille equitibus Cataphractis stipatus itineri sese accingit, atque in Vicennarum castro Henricum fratrem suum Andegavensem Ducem, & Margaritam sororem suam relinquit ipse vero Artenæum delatus, inde Aureliam pervenit, quam urbem die decima octava Octobris armatus ingressus est. Adventantem Philibertus Marsilius Sipretra Guisianis Principibus addictus præ-

prævenerat, ut urbem valido præsidio Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.  
firmaret: plerique tamen, præcipue vero Provinciarum Deputati hæc comitia accedentes ob tam copiosum armorum numerum obstupefacti hærebant, cumque per omnes vicos, & plateas ubique dispositæ cernerentur militum cohortes, cunctaque veluti ad obsidionem spectare viderentur, mirabantur plerique, quod juvenis Rex summa clementia insignis, & a nemine injuriis affectus, militari præsidio egeret. Tum etiam sancitum, ut quisque suam fidei professionem juxta normam a Sorbonicis Theologis ante octodecim annos præscriptam ederent, qui vero id facere recusarent, vita, & bonis mulctarentur: porro hoc factum creditur ex consilio Marefcallorum Santandreani, & Briffaci, præcipue vero Cardinalis Turnonii, qui nuper Roma redux singularibus honorum signis a Guisianis Principibus excipiebatur, ut hi veteris injuriæ Cardinali illatæ memoriam hoc obsequii genere delerent.

## §. CXXXV.

*Principes Pictavium delati, apertisque  
urbis foribus haud reluctanter  
excepti.*

Attamen e variis urbibus ad Navarræ Regem, & Condæum Principem